Epistola III.

DANIELI HEINSIO IOHANNES COCCEJUS.

Nobilissimè Vir,

Quum missu Senatûs nostri Hagam proficiscerer Syndicus noster, ingq ejus comitatu esset, cui literas rectè dare possem, cognatus meus, nefas duxi & pene crimen, tam bellam occasionem Tui salutandi praetermittere. Ea enim fuit in me humanitas Tua, cujus viva imago animo meo perpetim obversatur, quae pudorem mihi innatum adeò vicit, expulit, exterminavit, ut, quanquam nihil habe-rem, de quo scriberem, tamen quò minus saltem amorem observantiam, desiderium Tui literis profiterer, nul-lam mihi sim passus cogitationem obstare. quod licet ego faciam fortasse nimis fidenter atq importunè, culpam tamen in me nullam esse, sed, quicquid id est indecori, Tua, vir excellentissime, comitati im-putandum esse, certus sum. Equidem cùm an-tehac probis & doctis omnibus, quantum in me esset, studia conatusq meos mihi probandos duxissem; tum verò nuper à Te, antequam nosceret, eximiè ornatus atq commendatus quum essem, id me omni studio, cura, industria eniti debere intellexi, ne in indignum aut ignavum affectionem, laudesq & prae-conia contulisse videretur. ad quod exsequendum non voluntas sanè mihi, sed facultas & vires desunt. Mitto publicam calamitatem, eversa aut saltem affli-cta, concussa, exulcerata, desperata omnia; hoc mihi spectа, quantum desit ad aliquid honesti & laudabilis cogitandum suscipiendumvè adjumentum, cui ista sue-vis doctissimorum virorum quotidiana conversatio, sincera illa candidaq de rebus utilissimis commu-nicatio, honestum illud ocium, imperturbata tranquil-litas erepta sit: eorum verò vice cum hominum gre-gibus barbaris moribus, inter quos pauorum solet candor, sit conflictandum? Sed propterea tamen velle

recta studia deserere, pusilli, fateor, est animi. quod me
facturum non arbitror. Quod autem in Te est, consilio
monitione atq; omni ope mihi & imposterum prasto ut
sit humanitas tua, id mihi ab affectu tuo securè pro-
mitto. Te verò, vir maxime, incomparabile eruditionis
columen & morum malorum hostem, omniumq;, quos amor
laudis inflammat, fautorem & patronum Deus optimus
maximus sospitet, ut tuis egregiis laboribus insitia
& barbaries ex orbe magis magisq; pellatur. Hoc ita
ex animo opto, uti me à T. Excel. amari cupio.
Parens meus et frater se Tibi etiam atq; etiam com-
mendant. Salvere à me velim fautores meos summos,
quos nullo meo merito tua mihi conciliavit commenda-
tio. Valde avec intelligere, quàm mox nobilissimi viri
Dni Constantini L'Empereur tractatus de mensuris luce
sit visurus. Eum ego librum eò ardentiùs desidero, quòd
ex illo, quid meis lucubrationibus desit, perspecturum
me scio. Sed haud ultra ero molestus. Vale, vir
summe, et me inter cultores tuos numera. Dabam
Bremæ. 22. Octobris. Ao 1629.

T. Excell.ae

observantiss.

Johannes Coccejus Brem.

Audebo etiam quæstiunculam familiarius addere.
Videturne cap. IX. ad Romanos. v. 3. vox ηὐχόμην
rectius à novis interpretibus Optarim, quàm a vetere
Optabam reddita esse? Quid si enim hoc referamus ad ve-
tus illud Saülis in Christum odium, quum ille, honoris Judaici
causa, nihil sibi honorificentius duceret, quàm Christum de-

testari et à se procul spernere? Nam, quantum me memoria recolo (libri enim non sunt ad manum) Hebraïs Scriptoribus tantundem est dicere, אֵיתָה מְנֻדָּה לִי, quod אֲנִי מְנֻדָּה לָךְ sive תְּמֵךְ, id quod Apostolus expressit, ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. Quanquam et alteri versioni commodus sensus est: tamen hanc simpliciorem et minus coactam, eoq; meliorem, si D.ne Exc.ae calentus accesserit, judicabo.

Viro magnifico, nobilissimo ac
Summo d. Danieli Heinsio,
Equiti S. Marci, Regis Sueciæ
consiliario & historiographo,
Professori in academia Lugdu..
nensi p domino & fautori meo
æternum colendo.

Leiden.